



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 118. Pax conclusa inter Regem, & Calvinistas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

imponatur: deest enim militi stipendium, ac sæpissime annona: insuper nobilitas procul a domo cum fummis, nec tolerandis incommoditatibus conflictatur, & exponuntur inimicorum ludibrio eorum familiæ, quarum desiderium ferre, aut periculum diutius negligere non possunt.

§. CXVIII.

*Pax conclusa inter Regem, & Calvinistas.*

Jam a die quarta Martii firmandæ paci strenue insudabatur, ac illi, qui a Condæo Principe erant missi, Regiis Oratoribus sua postulata communicabant, juxta quæ post varias oppositiones tandem pax his conditionibus firmata est. I. edictum pacis die septima Martii Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo secundo promulgatum, cujus alibi meminimus, tam exacte quoad singulos articulos in opus deduceretur, ut exceptionibus, interpretationibus, ac declarationibus omnino sublatis, ac revocatis plenum, & integrum maneat, II. Regia sua Majestas, quantum opus erit, hæc interpretationes. &c. tollat, atque aboleat III. Rex plenam præteritorum oblivionem Condæo Principi, Archita- lasso, cunctisque, qui in nuperis tumultibus eorum partes sequebantur, con-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1568.

Thu. & Du-  
pleix l. c.  
Mezeray a-  
brégé chron.  
tom. 5. p. 765.



Sæcul. XVI.  
A. C. 1568.

cedat. IV. Præfatum Principem, tanquam carissimum suum Agnatum, ceteros vero veluti fideles suos servos, ac subditos habeat. V. Urbes captæ Regis imperio remittantur. VI. Denique exterorum Principum copiæ dimittantur. Ceterum hæc pax passim vocabatur *pax infida*, eoquod Longi-Gemelli præcipiti prorsus consilio, & quidem eo tempore conclusa esset, quo res omnino desperatæ credebantur: alii vero eandem appellabant pacem *claudicantem*, seu *male-natam*, aut Gallice *mal-assise*; alludebant enim ad Bironium *claudicantem*, necnon ad Memmium, qui cognominabatur *Malassius*: nihilominus hæc pax die vigesima septima Martii edicto publico in Parisiensi Senatu fuit confirmata, ac die trigesima ejusdem Mensis in castris Condæi Principis promulgata prope Carnutum, cujus obfisione mox soluta Germanorum copiæ dimittebantur, quæ per Lotharingiam unacum Casimiro Principe in patriam suam reversæ sunt, eis tamen prius Rex ex ærario suo æs militare solvere cogebatur, quam in rem a Venetorum Republica centies mille, a Duce autem Florentiæ octoginta aureorum millia mutua accipere compulsus fuit.

§. CXIX.